



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes**

**Scaliger, Julius Caesar**

**Lugduni Batavorum, 1600**

Michaeli Vascosano Ivliis Cæsar Scaliger LXXXVII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)



thoe , quæ fluxum ipsum præ se fert generationis. Iam vero fluuiorum origines naturamque quemadmodum declarauimus: eorum enim ingenium cum ita sit , vt in devexum ferantur, quanam igitur impulsæ sunt iidem ratione, vt contra in montium vsque vertices subsilirent. Iam insularum naturam, eamque non vnam. alia olim initio extitere, quarum maxima hæc nostra est , quæ extremo ambitur Oceano. alia postea enata factæque sunt aut alluione, quales in æstuariis amniumque faucibus exerto solo apparent: aut terræ motu: aut maris impetu abscissæ conuulsæque a continenti ipsa. Quæ tu, Ferrone, cum inter pietatis studia optime calleas, inter pietatis numeros ita tibi aspersa sunt, vt ignavos supinosque oblectare possint, sapientes non offendere. Vale reliquosque duos expecta. Cum Deo enim Filio nunc sum totus. vti namque sim semper. Iterum Vale.

M I C H A E L I V A S C O S A N O

I V L I V S C Æ S A R S C A L I G E R

L X X X V I I .

C V M primum nominis mei specimen  
olim tuis auspiciis, vt ita dicam, fuerit  
inau-



inauguratum: eadem fortuna quæ tum mihi tam benignè fauit, nunc recurrente facto quodam tuam fidem, operam, diligentiam de integro cum mea dignitate cōiunxit. Quid enim mihi potuit honorificentius euenire, quam meas videre lucubrationes a doctissimo viro summis impensis adeo celebratas, atque frequentatas: vt rei suæ familiaris eam demum haberit rationem, quam mea commoda postularent? Itaq. verba, quibus tibi gratias agerem, cum mihi nulla esse viderem, conieci oculos in librum quendam, quo tuam, si qua parte possem, beneficentiam remunerarer. Cardani liber de subtilitate quanta sit hætenus commendatione circumlatus, quanta etiam nunc gratia regnet, non ignoras. Is multis in locis cum præter vulgata iudicia mihi negotium facesseret: non potui, quin quam opinionem mihi temere feceram, consulto non solum deponerem, verum etiam testarer. Quare feci, vt mearum sententiarum, quoad fieri posset, extaret publica memoria. Hos cæ Commentarios qui cui recte darem, nondum inuenissem, suppressi totum hoc triennium, vt necessario, ita non inuitus. Nunc vero nactus Ianum Maumontium,

S 2                      summa



276 IVLII CÆSAR. SCAL.  
summa virum nobilitate, rara eruditione,  
singulari erga me fide atque pietate, tuum  
intima familiaritate necessarium, per eum  
tibi mitto: vt quoniam iam pridem totius  
pene reip. literariæ vocibus efflagitan-  
tur: si in vtriusque rem esse videatur, vt  
eos emittas in lucem: sint tuorum erga me  
meritorum, meæ in te penitus obligata  
voluntatis perpetuum posteris monumen-  
tum. Vale. XIII. Cal. Octobris. M. D. LVII.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER  
IOANNI ALESPIO  
*Senatori Burdigalensi* LXXXVIII.

QVAS olim tibi miseram mearum pri-  
mitias lucubrationum ex eo medici-  
næ cultu, qui affinis est naturalium disce-  
ptationum, nuper ab optimo viro atq. do-  
ctissimo Iano Maumontio appellatus, eas  
vt reuiferem feci, nec tam necessario quam  
libenter: nempe magis vt amico meo sum-  
mo, ac de me optime merito gratificarer,  
quam quod in illo quicquam meminissem  
obnoxium accuratori castigationi. Si quid  
tamen labeculæ vel incuria nostra, quæ toti  
humanæ speciei perquam est familiaris, vel  
librariorum negligentia aspersum esset:  
imo